

342 Prædicamenta Scoti de Substantia,

est, ut h̄c sumitur prædicari. Descendendo autem sub prædicato; arguitur per hanc Regulam: de quo prædicatur superioris, & inferius, quæ facit fallaciam consequentis.

Notandum: quod licet h̄c posset concedi vera: omnis homo est aliquid animal: non tamen, in quantum aliquid animal est Prima substantia: Prima enim substantia determinata, sine determinate, siue indeterminate sumptā, non dicitur de omni homine. Sed tunc videtur illa ratio plus valere contras secundam consequentiam: quia arguendo sic, in omni corpore est color, igitur in omni corpore est aliquid color: ut aliquid color dicit Primam substantiam. Est antecedens verum, & consequens falsum: & tamen illa consequentia videtur tene re per eandem Regulam, per quam & consequentia Aristot.

Dico: quod non per eandem Regulam: quia secunda consequentia Aristot. tenet per h̄c Regulam: Quod inest aliquid disiunctive pro multis; inest aliquid illorum indeterminate; sed terminus stans confuse tantum, non stat pro multis disiunctive.

Ex hoc sequitur, consequentiam tantum tenere à communī habente suppositionem personalem, & non quamcunque, sed determinatam: & illam dico quādo terminus stat pro aliquo determinato, indeterminate tamen: sicut subiectum Indefinitum, vel Particularis.

Contra hoc: si non sequitur: Animal prædicatur de omni homine: ergo aliquid animal: igitur animal, quod prædicatur de omni homine, non est aliquid animal, & si hoc: non dicitur de Prima substantia; nec est in illa: ut manifestum est: igitur aliquid, nec dicitur de Prima substantia; nec est in ea, quod est contra Aristot. sequitur: igitur inconveniens contra Aristot. nisi descendens teneat subtermino stante confuse tantum. Eodem modo potest arguide illa, in omni corpore est color: ergo aliquid color.

Ad hoc dico: quod in prima consequentia est fallacia consequentis: quia ad hoc sequi illud, infertur; hoc esse illud: & non ē conuerso: multa enim de se inuicem verē dicuntur per hoc verbum, est; quorum nullum infert aliud. Arguedo igitur eodem ordine negatiue est

fallacia consequentis à destructione antecedentis. Viterius, cum dicitur: si non est aliquid animal, non dicitur de Prima substantia: ista consequentia non valet: quia aliquid, in quantum est Secunda substantia, dicitur de Prima: ut h̄c sumitur dici, de, & secundū hoc est extraneū aliquid animali: vnde in ista consequentia innuitur fallacia accidentis. Viterius, cū dicitur: si animal, ut dicitur de omni homine, non dicitur de Prima substantia; nec est in ea: igitur aliquid, nec dicitur de Prima substantia, nec est in ea: ibi est fallacia figure dictioñis, coramutando quale, in quid: debet enim sic interrigi: igitur aliquid, sub aliquo modo accipiendo, nec de Primis dicitur, nec est in Primis, & hoc est concedendum tanquam necessarium: quia omnis homo nec dicitur, de, nec est, in.

Cum dicitur in quarto argumēto principali: quod non est dicitur, h̄c, & ibi: nisi quia h̄c sit descensus ex parte subjecti, ibi ex parte prædicati: dico, quod illū descensus concordat diversitas suppositionū, que prohibet consequentiam: quia non tenet, nisi termino uno modo supponere. Cum dicitur: quod vniuersalis couerterit sine figura dictioñis: verum est: quod variatio suppositionū circa unum terminū non est respe cta reliqui termini supponentis eodem modo; & nisi esset, non esset figura dictioñis.

Ad aliud dico: quod non similiter sequeretur utrobius: quia proposicio ista, Animal est omnis homo: à nullo ponitur vera, ut animal habet suppositionem determinatam, & aliter non tenet illa consequentia.

Vel aliter: quia omnis homo non prædicatur: ut h̄c sumitur prædicari, licet proposicio ponatur vera: non enim est vera primo modo per se.

Ad ultimum dico: quod loquendo de intentionibus, Destructis Primis, nullae sunt Secundæ substantiae: quia uno relatio de destructo, destruitur & reliqua: nec est etiam aliquid prædicatum in genere substantiæ: nec isto modo sunt Primæ substantiæ magis corruptibiles, quam Secundæ. Similiter est de rebus, quæ subsunt, in quantum eis attribuuntur tales intentiones. Sed si loquamus de esse rerum: forte potest cōcedi, hominō esse animal, licet non hunc, vel illum: sed

fed hoc non, secundum quod homo habet suppositionem personalem determinatam: illam enim non habet, nisi cum sint eius aliqua supposita, sed quia cuiuslibet communis, siue existentis, siue non existentis est suppositū accipere per additionem Pronominis demonstratiū sic: sicut ipsum est commune. Propterea mox dicendum, quod siue aliquis homo sit, siue non sit: semper sequitur: animal prædicatur de homine: igitur de aliquo, & quod p̄pter id, consequens est verum; propter quod, & antecedēs scilicet, propter inseparabilem unionem extremitum: licet neutrum existat.

Contra cœcluſionē tertiam arguitur sic: destructo posteriori; non oportet prius destrui: sed Secunda substantia est prior Prima: quia sequitur ad Primam, & non ē conuerso: & tale est prius, per Arist. cap. de prius: ergo destructa Prima substantia, non oportet Secundam destrui.

Dici potest: quod loquendo de intentionibus sunt simul natura: quia correlativa: loquendo de rebus: licet homo forte sit prius isto homine, non tamē aliquo homine: quia Secunda substantia non habet aliud esse, quam esse aliquius Primæ substantia.

Summa textus: simul & explicatio.

IN TENDENS Arist. explicationem descriptionis Primæ substantiæ tradere sic ait: illa, de quibus omnia alia dicuntur; aut in quibus omnia alia sunt, nec dicuntur de subiecto; nec sunt in subiecto: sed de Primis substantiis omnia alia dicuntur, aut sunt in eis: igitur Prima substantia non sunt in subiecto, neq; de subiecto dicuntur: id maxime, & principaliter, substatæ dicuntur. Minorē probat, quoad primā partem: quia animal prædicatur de homine: ergo de aliquo homine: patet consequētia: nam ex opposito consequentis infertur oppositū antecedētis: si enim animal de nullo homine prædicatur: ergo nec de homine prædicabitur. Secundam partem probat: quia color est in corpore: ergo in aliquo corpore: patet consequētia: quia ex opposito consequentis infertur oppositū antecedētis: si enim color in nullo est corpore: ergo nec in corpore. Hæc Aristoteles. De quibus consequentijs exquirit Doctor: Ante teneat formaliter: Partem negatiuam sex argumentis probat, sed illis non obstantibus.

1. Conclu. Dicit primo. Hæc consequētia: Animal prædicatur de homine: ergo de aliquo nomine: est

bona sumendo prædicari: ut h̄c sumitur: scilicet superioris de inferiori in genere: hanc, præter Philosophi autoritatē, probat per h̄c Regulā: Quādo alterū de altero, & c. quæ equalet huic: Quod est prius priore in genere, est prius postiore: sed animal in genere substantia est prius, & superioris ad hominem: & homo est prius, & superioris ad aliquem hominem: ergo si animal prædicatur de homine: & de aliquo homine: & c. de isto homine: qui est substantia prima determinata, & determinata: sed Arist. vt sumeret oppositum consequentis: quod est: Si animal de nullo homine prædicatur: in aliquo homine exemplificatur: qui nulli homini opponitur, & est Prima substantia determinata, indeterminate.

2. Conclu.

Secundo dicit. Secunda consequētia tenet in omnibus accidentibus realibus, per locum à Minori: hanc probat: quia accidentia realia prius instant: Primis substantijs, quā secundis: igitur si albedo, seu color, est in corpore: prius est in aliquo corpore, seu in Prima substantia indeterminate sumptante enim descendit Arist. vt oppositum consequentis sumeret. Adnuere tamē: quod licet Doctor: Proprium, accidens reale, appelleret, loquitor secundum aliorum opinioneū: vt super Prædicabilia vidimus.

Tertio dicit. Vtraq; consequētia tenet, cum communis tantum personaliter supponit, & non simpliciter: & tunc secunda consequētia tenet per hanc Regulam: Nihil inest alicui supponendi disiunctive pro multis, nisi alicui illorum, indeterminate sumptante, inest: sed color inest corporis supponenti pro illo, vel illo corpore: ergo aliquid corporis prius inest. Et quamvis prima consequētia sine tali specificatione suppositionis tenere videatur: nam significatum hominis prius est significato alicuius hominis: ergo significatum animalis, quod est prius significato hominis, erit prius significato alicuius hominis. Et secundum hoc prima, consequētia tenet. Respondet Doctor: quod homo in suppositione simpliciter significat illud, quod supponit: ita vt supponere, & significare, idem importent: & hoc est, sumi significatum pro significato: in suppositione vero per sonaliter supponit tantum pro suppositis, sed nō supponit pro illo, quod significat: vnde nō quidquid est prius significato hominis: vt homo supponit simpliciter, est prius aliquo homine: quia in tali suppositione significatum hominis est extraneū suppositis: nam homo non significat sua individualia: & ita debet in prædicta consequētia personaliter supponere. Ex quo sequitur (ait Doctor) secundum Aristotelem: Quod omnia alia, quæ dicuntur de Secundis substantijs: vel sunt in eis, vt supponit personaliter, dicuntur de Primis, vel sunt in eis.

Quarto dicit. h̄c Aristotelica conclusio. Destructis Primis substantijs, impossibile est, aliquid aliorū remanere; vera est, logice loquendo: & ex iā physice quod ē reale existentia: licet hoc esse reali existentia destructo, possint remanere Secundæ substantiae quoad esse metaphysicum, & intelligibile. Hæc habetur §. ex istis consequētijs: & in solutione ad ultimum: & quoad omnes partes probatur ibidem. Prima patet per locum

4. Conclu.

locum à relativis, quæ sunt simul natura; & posita se ponunt, & perempta se perimunt: sed Prima, & Secunda Substantia logice sumptæ sunt relativæ rationis: ergo, &c.

Secunda pars est manifesta: nam Secunda substantia non habet esse existentia realiter distinctum ab existentia Prima; sed sunt inter se realiter idem: nec accidens naturaliter existit, nisi in Prima: ergo hac destructa quoad esse existentia, destruantur & alia, quæ de illa dicuntur.

Tertia denique pars constat: nam nullo individuo existente, remanet connexio prædicatorum essentialium in esse cognito: sed talis connexion ex secundis substantijs coalescit: ergo Primis quoad existentiam destrutis, remanent Secundæ quoad esse essentia intelligibile vide supra quæst. de Génere, art. 7.

Tandem soluit argumentum, in quorum solutionibus multa dicit ad modum arguendi pertinentia: sed quia nullam ad propositum difficultatem continent, idèo ea hic non referimus; maxime quia in littera patet.

Nota tamen; quod Tataretus in hoc capite q. i. dub. i. concil. secunda tenet, has consequencias non esse formales: sed eius argumenta enodantur, per illud verbum, in genere, quod Doctor apponit: in genere enim substantia forma, illius sunt.

QVÆST. III.

An differentia de genere substantiae sit substantia?

Commune est autem omnis substantia in subiecto non esse: principalis namq. substantia non de subiecto dicitur; neque in subiecto est, &c. non est autem proprium substantia hoc. Namque differentia eorum est, quæ in subiecto non sunt: bipes enim, & gressibile, de subiecto quidem hominem dicitur: in subiecto autem nullo est. Cap. eodem.

VÆRITVR: circa hoc: An differentia de genere substantiae sit substantia, loquendo de eo, quod subest intentioni? Quod nō videtur per litteram hinc: quia non inest soli substantiae, sed differentia prima proprietas: sed si differen-

tia est substantia posset et inesse: & tamen soli substantiae.

Item, nec est substantia prima: quia dicitur de subiecto: nec secunda: quia nec species, nec genus, in genere substantiae: hæc sola sunt secundæ substantiae per Arist.

Item, habet contrarium: quia habet aliquid à se maxime distans in eodem genere: & talis distinctio per Arist. decimo Metaph. est contrarietas substantie autem nihil est contrarium p. Arist. inferius.

Item, per Aristot. quinto Metaph. primus modus qualitatis est differentia substantiae: qualitas autem non est substantia.

Si dicatur: quod Aristot. intelligit: quod habet modū prædicandi in quale. Hoc non videtur verum: quia Metaphysicus à Logico differt in hoc quod Mera physicus considerat ens, in quantum ens: Logicus, in quantum consideratur a ratione: quod ergo habet solum modum prædicandi in quale, quamvis à Logico posset aliquo modo dici qualitas; non tamen à Metaphysico: nisi sit essentialiter qualitas.

Ad oppositum: non substantia non est prior substantia: quia substantia est primum ens: differentia est naturaliter prior specie, quæ est substantia.

Item, non substantia interempta, non interimitur substantia: sed differentia in terempta, interimitur species, quæ est substantia: ergo.

Item, differentia est pars definitionis speciei: igitur indicat aliquid essentia eius: nihil autem pertinet ad essentiam substantiae, nisi substantia.

Item, si esset accidens, facaret unum ens per accidens cum genere: & cum addita generi faciat speciem: igitur omnis species in genere substantiae esset ens per accidens: & ita nulla est species.

Ad questionem potest dici, quod differentia in genere substantiae est substantia: quia est idem per se ei, quod est substantia: non tamen est species, vel individuum in genere substantiae: nec per se substantia. Verior est tamen talis prædictio: rationale est substantia: quæ ista: quantum est substantia: quamvis utraque necessaria, & utraque per accidens: prima enim est per accidens: non idem, quia aliquid est substantia, cui

Cap. de sub
stantia.

Text. com.

13.

Text. com.

19.

Text. com.

24.

Text. com.

13.

Text. com.

24.

Text. com.

5.

phys.

Text. com.

7.

Text. com.

48.

babeatur.

Text. com.

63.

& cir-
citer, sed

clariss 5.

phys.

Text. com.

7.

Text. com.

9.

Text. com.

48.

babeatur.

cui accedit rationale: sed secunda est per accidens: quia aliquid est substantia, cui accedit quantum.

Ad primum argumētum dico: quod intelligit: non est hoc proprium substātia: id est ei, quod directe est in genere substātia: vt species, vel genus: sed etiā differentia, quæ non est sic substantia. Secundum idem ostendit.

Ad tertium dico: quod contrarietas vno modo dicitur communiter pro maxima distantia: & hoc modo priuatius opposita dicuntur contraria: vt in primo Physicorum dicuntur principia, scilicet, forma, & priuatio; contraria: hoc modo contrarietas est in omni genere inter differentias generis; de qua dicitur 10. Metaph. quod omnis differentia secundum speciem contrarietas est. Alio modo sumitur, vt est maxima distantia formarum mutuo, circa idem se expellentium: & sic sumitur hic, & 8. Physicorum: & ubi est ista contrarietas, ibi est motus proprius dictus.

Ad quartum dico: quod Arist. vt in pluribus in Quinto diuidit voces in significaciones, & in modos diuersos accipiendi: quod ad minus facit de Qualitate: non enim eam diuidit; vt est generalissimum; in species, ponens differentiam esse primam speciem eius. Sed diuidit hanc vocem, Qualitas, in significa-
ta: & unum significatum eius est differ-
entia substantiae: quia sicut forma & quiuo-
catur ad substantialem, quæ tribuit esse simpliciter; ita actus ad actum primum, & actum secundum: & ita Qualitas ad Qualitatem essentialiæ, & accidentia-
lem & quiuocatur: & differentia substan-
tiae est Qualitas essentialis: nullo modo Qualitas; vt est generalissimum.

Summa textus, ac eius explicatio.

PRÖBANS Aristoteles Primam sub-
stantiae proprietatem, de qua in Summa
Quæstionis tercia de genere diximus;
affirmit non conuenire Prima, & Secun-
da, substantiae in quarto modo: nam etiam substā-
tialibus differentijs conuenit: ipsæ enim in subie-
cto nō sunt: occasione cuius præsentem diffulta-
tem disputat Doctor: An scilicet, Differentiae
substantiales sint substantia; vt substantia est hu-
ius Prædicamenti generalissimum. Partem ne-
gatiuam probat nonnullis argumentis, quæ si-

mul cū suis solutionibus in littera patent: sed illis non obstantibus.

Dicit primo. Differentiæ substantiales sunt substantia. Hanc probat quatuor argumentis ad oppositum.

Secundo dicit: quod tales differentia substantiales non sunt substantia; vt substantia est huius Prædicamenti generalissimum: sed vt sumitur transcendentaliter, & est communis ad substantiam completam & incompletam. Primum par-
tem ostendit: nam solum individua, & species, in hoc Prædicamento directe collocauntur: cuiusmodi non sunt differentiae prædictæ.

Secunda pars patet: nam si sunt substantiae; & nō illa, quæ est generalissimum: ergo illa, quæ est transcendentalis; & ens cum accidente simili dividit: de qua diuīsione supradiximus.

Ex quibus: velim, aduertas, quomodo dis-
tinguit substantiales: vltimæ sunt quidditatue
ens secundum Doctorem; vt ex eius mente q. 4.
Ante prædicament. art. 3., diximus: nam si sunt
quidditatue substantia; & substantia est quidditatue
ens ergo, & illæ sunt ens quidditatue. Et
hæc pro explicatione illius questionis sufficiat:
nam an in substantijs detur contrarietas dicimus
questione sequente: cetera ex dictis patent.

Notæ.

QVÆST. III.

An partes substantiae sint sub-
stantia?

Non vos vero conturbent substantiae
rum partes, que ita sunt in toto; quæ
si in subiecto sint: ne forte cogamur,
eas nō esse substantias, confiteri, &
cap. eod.



VÆRITVR. cí-
ca hoc: An partes
substantiae sint sub-
stantia? quod non
videtur: quia Sub-
stantia; vt est ge-
neralissimum; est
per se ens: nulla
pars substantiae est per se ens; dū est pars
Substantiae: quia tunc esset hoc aliquid:

& una substantia esset ex multis hoc ali-
quid: quod non videtur verum.

Item, si quæcumque pars substan-
tiae sit substantia: sit, A, illa substantia;

& arguitur sic: si, A, sit substantia descé-
ndendo diuisive à generalissimo; oportet

Y 5 tet